

quod vertitur præjudicium nihilominus unionem informem probent, illique stare velint, non est, cur suos non sortiatur effectus. *Barbos. vol. 2. conf. 35. n. 23. Bocer. disp. 12. n. 12. Stryck. d. cap. 6. §. 13.*

Nam Solennitas in favorem alicujus requisita, si omissa fuerit, actum vitiat, saltem si illi nocivus, non si commodus fuerit. *L. 14. Cod. de Procur.* Cæterum & illud hîc quæritur: An à Parentibus fictitiis satisfactio de restituendis bonis Unitorum sit exigenda? negat in thesi probabilius *Rick. cap. 9. n. 45. Heering. de Fidejuss. cap. 5. n. 280.*

Si tamen Prens malè utatur substantiâ Liberorum, aut metus dilapidationis subsit, satisfabit, aut administratione est privandus. *Muscul. l. cit. n. 92.*

C L A S S I S IV.

D E

Bonis sub Unionem cadentibus.

UNio Prolium vel de omnibus Unientium & subinde etiam Unitorum bonis, vel de certâ eorum parte, v. g. solis mob- & immobilibus, veletiam de solis acquæstibus potest celebrari. *Muscul. 109. Rick. cap. 6. n. 76.*

Cæterum Unione generaliter, & indefinite celebratâ omnia bona à lege vel homine specialiter non excepta in Unionem deducta esse videntur. *Klock. tom. 3. conf. 160. n. 39. § 40. Stryck. §. 16.*

Excipiuntur autem à lege omnia ea, quæ Jure communi ab onere collationis sunt libera, quæque alterius Matrimonii Liberis uni vel pluribus Jure præcipui debentur. *Rick. cap. 5. n. 1. Muscul. n. 132.*

B 2

Unde

Unde & feuda saltem ea, quæ ex pacto & providentiâ Majorum aut legis dispositione devolvuntur, emphyteuses, Majoratus primogenituræ regulariter Unioni sunt exempta *Nicol. Bets. de pact. Fam. Illust. cap. 5. pag. 136. Arg. cap. Si quis per triginta. vers. adoptivus. Si de feudo defunct. content. sit inter Dom. & Agnat. Vasall.* quoniam hæc non tam Parentum Judicio, quàm principali vel legali providentiâ ad Liberos pertinent. *Arg. L. 22. §. 1. ff. de Adopt.*

Dixi de feudis ex Pacto Majorum & providentiâ Legis; nam feuda merè hæreditaria in Unionem deduci nihil vetat, cum Vasallus de iis Testamentum condere, & inter vivos ea alienare possit. *Stryck. exam. Juris feud. cap. 14. quest. 4.*

Ita quidem ut à cognatis & legitimis alienantis hæredibus revocari nequeant. *Berlich. p. 2. conclus. 57. n. 3. & 4.*

Idemque dic de bonis cast- & quasi castrensibus & adventitiis. *Muscul. n. 133.* cum & hæc collationis oneri exempta sint. *Voet. ad ff. tit. de Collat. n. 12.*

Bona à Collateralibus, aliisque per Testamentum vel ab Intestato vel alio inter vivos mortisve causâ titulo alterutrius thori Liberis obvenientia pariter extra Unitorum sunt divisionem, sive ea bona stante sive dissoluto jam Matrimonio obveniant. *Rick. cap. 5. n. 2. 3. & cap. 7. n. 2. 3. Stat. jul. cap. 76. §. Dergleichen sollen.*

Idque eò magis dicendum, quia hoc Pactum non nisi Parentalem respicit successionem, ulterius non est extendendum. *Stat. Jul. §. Und soll in allwege. Rick. cap. 7. n. 1.*

De bonis Stemmaticis & Stipalibus Juliæ & Montium veriùs vide-

vide-

videtur, quòd ea saltem consentientibus iis consanguineis, qui ex Jure revolutionis ea sperare possent, rectè sub Unionis pacto comprehendantur.

Illud coronidis loco adjiciendum est, quòd bona unita extracatum necessitatis, & sinè prævio Judicis Decreto temerè à Parentibus unientibus alienari nequeant. *Stryck. d. cap. 6. §. 17. Muscul. n. 139. & 140. Rick. cap. 8. n. 7. & seq.*

C L A S S I S V.

D E

Unionis Effectibus.

Effectus Unionis sunt :

1mò Quòd Liberi Uniti absque ullâ aliâ ultimâ dispositione Parentum Unientium in hæreditatem parentelam succedant. *Rick. cap. 7. n. 1.*

2dò Et non expressis quidem partibus in bonis unitis omnes succedunt æqualiter. *Stryck. dict. dissert. 8. cap. 6. §. 18.*

3tiò Unitorum descendentes, licèt in pacto non nominati Avo, Avixque unionis authoribus, vi repræsentationis, unà cum reliquis imi gradûs Liberis succedunt. *Stryck. l. cit. §. 21. Arg. l. 27. ff. de adopt.*

4tò Neque nepotes Unionem reprobare, sed eidem omninò & quoad omnia capita stare tenentur. *Rick. cap. 7. n. 60. & 66. Muscul. dict. memb. 3. n. 118*

Id tamen Unio non efficit, ut bona utriusque lineæ avita, ad Parentes Unientes necdum devoluta in Unionis veniant communicationem. *Rick. d. cap. 7. n. 25. & seq. Stryck. loco cit. §. 19. Stat. Jul. §. Und soll in allwege zc.*